
186

M

6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

MicroChamber ®
Beschermvel
KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

38

Kw 186 M 6

ERNESTI ZIMMERMANNI

Sch. Gehr. Rectoris,

ORATIO,

DE

NATIVITAE JESU CHRISTI

Mundi Salvatoris.

Canticum Simeonis Luc. 2. Carm. redditum.

Magne Puer virtute, Dei indubitata propago,
Mundi Opifer, qui noſtra venis, veterumq; parentum
Crimina ſponte tuo pretioſo ſanguine, plenè
Purgare, ac aperire vias ad ſidera Cœli,
Exoptatus ades, nec me tua maxime fallunt
Summe Pater promiſſa; mori me denique fas eſt:
Ad requiem dulcem, nunc me, finemq; laborum
Corporis exutum vinclis dimittis, ut olim
Pollicitus, Jam viderunt mea lumina, quem tu
Auxilium Mundi miſiſti, ut gentibus eſſet
In tenebris lux, Iſacidos nova gloria prolis.

Lugdnni Batavorum

Excudebat

WILHELMUS CHRISTIANI BOXIUS,
Anno reparatæ Salutis 1650.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Reverendis, Clariſſimis ac ſpectatiſſimis Viris,

D.D. PASTORIBUS, ac PRESBYTERIS. ECCLESIARUM in ALSMEER CUDELSTERT NIEUVEEN & CALSLAE Vig lantiſſimis

Reverendi Domini,

COnditor ille omnium rerum Deus, qui primos Parentes noſtros modo ad miraculum ſtupendo creavit, is voluit ut ex illorum ſanguine genus humanum propagaretur, dubio procul inde, ut humanæ ſocietatis harmonia lætius vigeret, concordia terrigenarum & intima bonorum inter ipſos communio arctius conſervaretur, & Pædia legum optimarum commodius ad finem idoneum dirigeretur, Hoc naturale commercium reliquis animantibus á Deo impreſſum quotidiè, ſuo modo, propagari videmus. Nam ſi Phyſicis credendum eſt, vix quicquam in rerum natura eſt, quod non nativâ quâdam alterius cujuſpiam attrahendi potentiâ imbuatur. Sol Planetarum coryphæus ignem ad ſe trahit: Luna Mare: humiditatem attrahunt plantæ; ruta ad ficũ ſata latiſſime & uberrimè provenit; ulmus gaudet cohabitare vitibus, vitis & olea mutuo fruuntur conſortio, ſic naturali inſtinctu non tantum ſenſitiva quæq; ad amorem ambitumq; ſui generis inclinare, ſed etiam ipſis imperfectè miſtis hoc uſu venire experimur, adeô ut lapides ac metalla quæ ſenſu omni carent, activà tamen hac virtute neutiquam carere facile intelligamus, Magnes trahit ferrum, quod ad delectionis ſibi Magnetem ita occurrit, quaſi quendam deſiderij ac delectationis ſenſum haberet: Et certe ſubit admirari hujus lapidis tractricem virtutem, quâ vidilicet ferrum non ſolum attrahit, verum etiam ferro attracto vim imprimit aliud quoq; ferrum attrahendi. Sic quoq; admirando modo Ieſus Chriſtus Dei Filius humanam naturam induendo, & hominum generi ſe aſſociando veri Magnetis inſtar ferrea & malitià ignita corda noſtra non ſolum ad ſe trahit, ſed etiam ſanctitatem & juſtitiam ſuam fide verà ipſum amplectentibus ad vitam imputat. Quod Magnum juxta D. Pauli effatũ ſanctum μέγα ἐςὶ τῆς ἐυσεβειάς μυςήριον Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ. Incarnationis myſterium, dum id ipſi, Ampliſſimi Mecœnates, pià meditatione veneramini, nil addam amplius, niſi quod ſubmiſſè rogito, ut Magnetis naturam æmulando haſce pagellas Th. vobis in Felix hujus novi Anni auſpicium pro more antiquitùs recepto dedicatas benignè accipere, & meam miſeriam ferro exortam veſtrà Sympathiâ ſublevare velitis. Altiſſimus faxit! ut ad Eccleſiæ orthodoxæ propagationem, multos in annos ſuperſtites, ab omnibus malis remoti, in dulci veſtra conquieſcere poſſitis tranquillitate

V. Reverendis
Nominibns
Devotus
Erneſtus Zimmerman.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

186 m 6

HYMNUS.

Cœleſtis Patris, ſimul & pudicæ
Fili Virginis, Orbis hoſpes alme,
Hymnum quæſo ſacrum tibi canentem
Laudum reſpice gratiâ tuarum.
O vivæ Deitatis alme tradux,
Quam mirabilis & ſtupenda res eſt!
Quod carnis grave pondus induendo
Humanam ſocias Deo figuram.
Tu ſic hoccé modo citò vetuſtum
Aſtuti Satanæ dolum retundis
Noſtros ſub ſpecie latens colubri
Vafrâ prodidit arte Protoplaſtos,
Qui illis inſinuando, proloquutus
Hanc plenam lacrymis phraſin nefandam!
Pomum carpite dulce profuturum
Vobis ad nitidum Pharum polorum,
Ad culmen ſimulac throni Deorum.
Inſignis veterator euge, jam nos,
Iam noſtro ſimiles Deo fatere:
Nam ſemen Mulieris, & propago
Summi Numinis, uniuntur uno
Perfectiſſimo & intimo uſque nexu,
Indelebile fœdus & ligamen
Hoc præſtant, Deus & puer tenellus
Conſiſtant Homo dextimo tenore.
Et Verbum Caro fit dum & oſſe noſtrum
Se Fratrem manifeſtat, & Sodalem,
Lubens nos ſimiles Deo fatere.

Ieſu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Ieſu Chriſte tibi ſonamus amplas
Toto pectore gratias, per omne
Ævum pſallimus, & tuum perenni
Ornamus ſuper aſtra laude nomen.
Hoc, virtus tua veritas meretur
Erga nos, amor igneusq; & illud
Divinæ ſapientiæ cacumen,
Et myſterij abyſſus ore major.
Nam tu prævalidé caput Draconis
Contriviſti, Erebiq; jus tuliſti,
Promiſſam benedictionis olim
Effectu Patribus fidem dediſti:
Te dilectio noſtræ agens ſalutis
Curam, Te miſerans amor coëgit,
Ut nos conſilio ſacro beares,
Ut nos auxilio pio levares;
Tu ſolus ſapienter invenire
Nôſti temperiem nimis latentem,
Per quam Iuſtitiæ, & ſimul ſupernæ
Conſtaret ſua vis Benignitati,
Hinc ſolus meritò clues & unus
Complacans Mediator, atquè ſcala
Cœlum terræ, homines Deo viciſſim.
Conjungens Cataclyſmo amœnitatis,
Quam nunquam ſatis explicare ſanctæ
Linguis Angelicis valent cohortes
Quamvis id ſtudio referre certent.
Ergò nos ſimiles Deo fatere.
Ieſu perpetuas tibi Redemptor
Toto pectore gratias agemus,
Et ſemper memori tuum feremus
Æternum ſuper aſtra laude NOMEN.

ORA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

ORATIO
DE
NATIVITATE JESU CHRISTI,
Mundi Salvatoris.

HInc procul inſani, vani procul eſte Poëtæ;
Hinc auferte gregum veſtrorum carmina fœda!
Vana ſuperſtitio, quæ fingit numina divûm,
Jam ſileat. pudeat ſcelerum, quæ plurima cœlo
Affingunt; pudeat ſedes maculare beatas
Verſibus, & ſuperos nugis involvere veſtris;
Lubrica ſat vacuas tenuerunt carmina mentes.
Jam pia relligio cœlo caput extulit, atque eſt
Luce fugans tenebras, ſupremi numinis index.
Carmina nunc mutanda, novo nunc ore canendum.
Vatum cunctorum polluto calle relicto,
Bis genitum Regem Chriſtum, ſine tempore patris
Æternum de mente ſatum, ſed tempore pleno
Hebræa in noſtram carnem de Virgine natum,
Mundi Salvificum noſtra hæcce Thalia ſonabit.
Hoc etenim natale ſacrum dulcedine cunctos
Ducat, & immemores modulandis dulcibus hymnis
Non ſinat eſſe ſui, quotquot ſacra dogmata Chriſti
Curant, & plenos ducentes fontibus hauſtus
Divinis, doctas pectus coluêre per artes.
Et merito: quis enim natalia tanta ſilendo
Tranſeat? aut erga nos dedignetur amorem
Chriſti tàm dulcem plenis cantare Camœnis?
Quo nobis uno naſcente renaſcimur omnes,
In lucem ex tenebris, in vivam ex morte ſalutem.
Quocircà breviter referens natalia Chriſti,
Vera dabo, miramque ſolo, cœloque decoram

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Virginei partus, pompam, utrobique fideli
Expediens opera; quis amor, quæ cauſſa ſalutis;
Quid moneat, vitæque pios operetur ad uſus.
At dum ſic Chriſto juſtos ſacramus honores,
Non opis eſt noſtræ, percurrere ſingula digno
Carmine, quæ nos hiſtoriæ pulcherrimus amplæ
Cardo monet: paucis modo delibabimus, amplos
Quæ juvit Vates amplis vincire cothurnis.
  Chriſte, tuus dicetur honos; tibi ſacra parantur;
Tu mea, dicentis rege mentem, dirige plectra,
Ut tibi noſtra (licet numeris inculta) Thalia
Grata ſonare queat, gratumque effingere Carmen,
Nominis inque tui laudem, noſtramque ſalutem.
  Quod divina canunt Haggæi Carmina Vatis,
Nempe potente Deum brachio, & virtute ſtupendâ
Moturum ſuperos orbeis, terraſque jacentes,
Cum veniet patrio tandem progreſſus Olympo,
Quem Salvatorem totus deſiderat orbis.
Nemo ſagacis erit mentis, ſacræve peritus
Hiſtoriæ, verique DEI memor, atque ſalutis
Æternæ cupidus, dubio qui fluctuet æſtu.
Quin hoc extremo, quo frigida bruma Decembrem
Reddidit, atque novi nova fata reſuſcitat anni,
Omnibus implevit numeris memorabile tempus,
Quo Verbum factum eſt caro, demiſſumque ſupernis
Sedibus, & verè noſtris habitavit in oris.
  Nam mox, Chriſtiparâ decurſâ nocte, polorum
Duplicium pariter virtus cœleſtis, & omnis
Milities, commota fuit, cantuſque dederunt
Augelicæ liquidum tranantes æthera laudes;
Laudum ſacra DEO, pacis nova nuncia mundo.
  Nec terrena ſuo caruerunt compita motu,
Quum varias iniêre vias hinc inde profecti,
Quotquot in orbe Viros Dominæ vis Martia Romæ

Vice-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Vicerat, Auſoniæque jugo ſubmiſerat aulæ:
Et diverſa Tribus diverſam quæſiit urbem,
In quâ confluerent ſcriptos à Cæſare cenſus
Afferre, & Regum nova juſſa referre Quiritum.
Tunc populis cum Romuleis, domitoribus orbis,
Herodis ditio, Judææ circulus oræ,
Omnis Apellarum ſtirps, Iſraëlis avita
Poſteritas, commota fuit: ſimul omnis Eôa
Perſis Suſæos, longinquâ ſede Magiſtros,
Excivit natum ſtellâ duce quærere Chriſtum,
Et cunis offerre novis nova dona, fatendo
Thure Sacerdotem, mortalia funera myrrhâ,
Auro divinos æterni Regis honores.
Nos etiam, qui membra ſumus regni pia Chriſti,
Ætherio quondam ſolio dignanda, movebit
Tempus idem, & pietas eadem, dare munus iiſdem
Sacris, & Chriſti cunas ornare decoris
Muneribus, quæ noſtra poteſt & debet honori
Naſcentis ſtudioſa Dei conferre ſupellex:
Thure precis, Myrrhâ crucis, Auro laudis acerram;
In ſignum puræ Fidei, & conſtantis Homagî
Invictique animi, patienti pectore quidvis
Aut oneris pro Rege pati, vel honore fruiſci.
Cœlicolum Regi ut laudes pro munere mittam,
Pro myrrhâ dabo cor patiens, pro thure Sabæo
Votivas cantabo preces, pro divitis auri
Congerie, carmen tenui modulabor avenâ:
Omnes ferte Deo mecum nova Carmina Chriſto;
Chriſtus amat gratam, quamvis ſit egena, Camœnam.
Quod ſi jam propius rem contemplemur, & ipſam
Hiſtoriam ſacrâ rectè trutinemus amuſſi:
Et Scopus, & Ratio, Tempuſque locuſque monebunt,
Et rerum Typus actarum, quod Chriſtus in orbem
Naſcens complerit Sanctorum Oracula Vatum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Nam, quia ſumma ſequar tantum faſtigia rerum;
Aut prodeſſe volunt, aut delectare, puſillam
Aut roborare fidem; vel idonea dicere vitæ,
Quotquot Meſſiæ Res geſtas, Dogmata, Mortem,
Scriptores Euangelici comprenſa libellis
Sanctis ad ſeros mitti voluêre nepotes.
Non opus hæc multis fuerit monſtrare figuris,
Sancta fidem dicto faciunt Natalia Chriſti:
Quæ certis notat indiciis certiſſima ſanctæ
Hiſtoriæ Series; dum Res, & Nomen, & ipſum
Tempus, Aventinis meminit ſublimis in oris
Cæſaris Auguſti, & Cyrenî præſidis, atque
Cenſus, quo totus primum deſcribitur orbis.
Namque ſuæ certum facit unumquemque ſalutis,
Et Servatoris miſerum naſcentis in orbem.
Nempe Monarchiæ quartæ dominante ſecundo
Cæſare Romano, (quod dudum præſcius ille
Fatidicus Daniel prædixerat) ille ſub auras
Prodiit immenſi Rex antiquiſſimus orbis,
Principium ſine principio, finis ſine fine,
Cujus & imperium æternum, durabile ſemper:
Tunc quando à primo Romano Cæſar Julo
Cajus adoptatus ſceptris Octavius; ille
Qui fuit auguſtis Auguſtus dictus ab auſis;
Judæas quique Imperio victricibus armis
Addiderat terras, totumque ſubegerat orbem.
Ipſe etiam, publico quem Romæ Antonius actu
Regem Judææ & Galilææ dixerat agris,
Ortus Idumæis Herodes Ethnicus, auctæ
Cui vitæ primas conceſſerat Aſcalon auras;
Duras invitis leges ponebat Apellis:
Quando Romuleis adjutus viribus ipſam
Cinxerat & fractam Solymæam invaſerat urbem,
Et captum Judæ poſtremum in ſtemmate Regem

Anti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Antigonum Romam tranſmiſerat, & ferus ultor
Funere mergendum tandem curarat acerbo.
Inſuper abjecto Sanhedrim, decieſque priorum
Septenis procerum crudeli morte peremptis:
Quos penes illuſtri Davidis ſtirpe creatos
Jus fuerat ſolos, & vis, & norma regendi,
In toto imperio recutitæ gentis Judæ:
Omnes Iſacio reliquos de ſemine natos
Efferus obruerat truculentâ cæde Tyrannus.
Unde ſatis conſtat, quod mens præſaga futuri
Dixerat Iſacidæ morientis: Nempe tot annos,
Optato naſcente SILOH vitalibus auris,
Ablatum fore Judæo de ſtemmate ſceptrum.
Hinc quoque, cum totum latè ablegaſſet in orbem
Auguſtus Cæſar bis denos Marte potentes
Conſilioque Viros, qui vicos, oppida & urbes,
Qui gentes, ſtirpes, theſauros, nomina, vires
Romani imperij ſcirent, alboque notarent:
Provida cura Dei fecit, ne turbidus oræ
Judææ Rex Herodes, ſed Cæſar, & idem
Ethnicus Auguſtus, Romani nempe Cyrenî
Auxilio, populum Iſraël numeraret, & illi
Indictos cenſus, non ad Solymæa paranda
Sacra, ſed Oenotriam complendam, ferret in arcas.
Inſuper hæc regni Latij cenſura potentis
Cæſaris Auguſti, præter ſpem debuit omnem
Inſervire DEO, juſtam dum præbuit anſam
Naſcenti Chriſto Bethlæ, quod nobile Michæ
Dixerat augurium, non in Galilæa de terra.
Ergò DEUS mentes mirâ ratione gubernat
Cæſaris Auguſti, & Cyrenî Præſidis, ipſo
Ut ſcribant anno cenſus, & menſis eodem
Curſu, quo Chriſtus naſci debebat in orbem.
Scilicet & verbi & fidei certiſſimus Autor

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Eſt Deus, & totum voluit conſtare per orbem,
Tot Patrum Votis tot ſecula priſca rogatum
Nunc verè veniſſe ducem, Lytrumque ſalutis.
Quid, quod poſt Aviæ curatas fratris Iuli
Exequias, primo cum Romam viſeret urbem
Ingreſſu Auguſtus Cæſar novus, æthere in alto
Multicolor ſolis radiantis corpus obivit
Circulus, in ſignum manifeſtum tale, ſub iſto
Cæſare vitales mittendum lucis in auras
Chriſtum ſupremum Regem immortalis honoris,
Qui facie illuſtri nitidi ſplenderet ad inſtar
Solis, & ætheriæ qui majeſtate coronæ
Ornatus foret eximio velut Iridis arcu.
Nec fruſtra, dum Cæſareas Auguſtus habenas
Imperii rexit Latij, per magna Quiritum
Mœnia recluſis Ciſterna recondita venis
Stillavit ſalubris pretioſum flumen Olivi:
Dum Sol, quo totum rapidus circumvolat orbem,
Curru jungit equos alacres, & ſolvit anhelos.
Nimirum plenis, hoc Cæſare, cœlicus alveîs
Fons bonitatis inexhauſtæ, & clementis amoris
Maximus Oceanus, ſe panderat, atque ſalubre
Sancti Euangelii & flammæ omnipotentis olivum,
Per Chriſtum effuſum, totum manarat in orbem.
Addo, quod & virtute potens & ſorte beatus
Auguſtus Cæſar (ſed non ſine numine cœli)
Imperio currente ſuo ter publica pacis
Fœdera ſancivit, cunctos vulganda per orbis
Immenſi tractus, inque indubitata quietæ
Signa togæ, ter claudendum bifrontis Iani
Curavit templum, quod apertum tempore belli
Provida ſervarat trabeati cura Quirini.
Nam Trias indivulſa DEI per tale notavit
Judicium, æternæ concordia fœdera pacis

Pactum

Pactum iri, & genus humanum per triſtia lapſum
Crimina, per Chriſti ſalvantia lytra Jehovæ
Offenſi placaturum quas moverat iras.
Et, velut hiſtoriæ referunt, Auguſtus Iani
Pro ſe jam ternâ vice templum clauſerat, iſtoc
Anno, quo Chriſtus fuit emittendus in auras.
Quo certè docuit, toto conſtare Latino
Imperio optatam pacem, domitoſque feroces
Externi populi motus, bellique fragores.
Et ſuper hæc poſiti tranquilla ſilentia Martis,
Ingreditur lumen mundi dulciſſimus Heros,
Et verus Princeps pacis felicis Iesus,
Qui ſeſe inferret medium inter numen & ægros
Mortaleis, & rem pius interceſſor amico
Arbitrio dubiam placide componeret, ipſos
Mulceretque animos, & tutâ pace ligaret.
En, quis adhuc dubitet, promiſſum Patribus illud
Fœmineum ſemen, triturum colla Draconis
Tartarei, illuſtremque Heroa, Ducemque ſalutis
Exhibitum, noſtram ſibimet ſumſiſſe figuram?
O cæcas mentes Judææ Gentis, & alta
Somnia, quod vano detenti errore, potentem
Meſſiam ſperant alium, valvaſque foreſque
Pandunt venturo, quoties fulgore coruſco
Intonat aula poli, telluſque remugit & æquor.
Fallor? an, in terris quem neglexêre figurâ
Servili indutum, nec cognovere tot annos
Meſſiam optatum, Reparatoremque ſalutis,
Agnoſcent olim miſeri, cum protinus omnem
Obruet extremus ſubitis fragor ignibus orbem,
Et ſplendore novo cernent ſub nube reverti
Angelicis cinctum turmis, ſcelerumque ſuorum
Ultorem ſtrenuum? quando rerum Ambiter æquus
Transactæ vitæ rationem & crimina quæret:

Dicta-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Dictator juſtis vitæ, reprobiſque gehennæ.
Nec dubium eſt, ipſum factum ſi lance pu temus
Directâ, Chriſtum, ad cenſoria tempora regni
Cæſarei mundo naſcentem, oſtendere certis
Indiciis, non ſe vaga mundi regna Monarcham
Geſturum, vel civili pro more ſeveris
Legibus, imperiis duris, victricibus armis,
Preſſurum populos; ſed ſeque ſuoſque parentes
Obſtrictos juſtis fore prompto pectore ſceptris;
Sponte ſuâ toleraturos, quæcunque fideles
Imperij cives Edicta politica poſcant.
Tantus amor noſtrî Chriſto, vis tanta favoris
Inſedit: qui magnorum Rex maximus, omnis
A quo deſcendit virtus & gloria regni,
Non negat obſequium juſtum Primatibus, orbis
Qui faſces cum laude gerunt, & honore coronant.
Nunc porrò ſortem partus, fœtuſque puſillas
Inſpiciemus opes, & opem, quæ contulit orbis.
Nam quod opus magnum vult maximus Autor Olympi,
Ortus exiles habet, & primordia dura
In terris: ſed in ætheriis ſupereminet aſtris,
Flore, colore, decore, vigore, favore & amore;
Omnia quæ magni complectitur orbita cœli;
Quæ circa Cybele, quæ circa brachia longo
Margine terrarum porrexit Amphitrite.
Sancta precor Penie, ſimul & cœleſtis Alethe,
Pandite nunc Vos ſcripta Deæ, cantuſque movete,
Quæ fuerit terris Pueri generatio Chriſti.
Vos meminiſtis enim Divæ, & memorare poteſtis.
Urbs antiqua fuit, Sancti tenuêre coloni
Stirpe ſati proavi Sebulonis, monte ſub alto
Condita, Phœnicum contra Samaræaque longè
Oſtia, pauper opum ſtudiis, aſperrima vitæ,
A ſanctis rectè Naſaræis dicta colonis:

Quam

Quam pietas fertur terris magis omnibus unam
Poſthabitâ coluiſſe Salem : hic illius actus
Hinc curſus fuit : ut nunc jam quoque ſingula dicam.
Vixit in hac ſpecie deſpectâ, ſimplice cultu,
Virgo Maria, ſuis florens juvenilibus annis,
Stemmate prælustri Ieſſidæ Regis Iudæ
Edita ; verum inter concives tota ſuperbos
Parvi facta, nuruſque inter numerata relictas :
Deſponſata tamen, ſed nondum nupta marito.
Illa gerens uterum ſine amore & lege virili,
Ætherii fœtâ circumdata Flaminis umbrâ,
Pondera maturi tulit inter viſcera partus,
Nec quiſquam patrii vicinus & incola muri,
Virgineâ ſacram molem deprendit in alvo :
Et nulli quicquam ipſa hujus pudibunda retexit,
Nec fronte elatâ tumuit, nec pectora geſſit
Turgida, divino fœtu donata, ſed uſque
Seſe humilem patriæ exhibuit, cunctiſque minorem
Virgineis nuruumque choris ſe cenſuit unam.
Hæc ubi prima novi percepit nuncia cenſus
Pendendi Latiis Quæſtoribus, atque tributim
Selectas aliquot Judæi limitis urbes
Quæ ſcriptos legerent nummos, arcæque coactos
Cæſareæ ferrent juſtâ ratione Magiſtris :
Paruit edicto publico, & comes addita ſponſo
Prompta ſuo, patriis peregrè digreſſa colonis,
Movit Ephratææ paſſus ad pinguia Belthes
Mœnia, quo dicti generalis penſio cenſus
Jeſſæis loca conventus mandârat alumnis.
Ah quam longinquæ quam dura gravamina metæ
Pertulit; ah rigidi quam triſtia tædia callis
Suſtinuit ; quantum curis ingentibus ægra,
Spem vultu ſimulans, tulit alto corde dolorem ;
Quot preſſo pulmone gemens ſuſpiria duxit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Intima: quando gravis cœleſti pondere Virgo
Montoſæ patriam Galilææ deſerit urbem,
Atque ſub Auſtrales tractus Aquilonis ab oris
(Sic Bethlem poſitum videas à colle propinquo
Sionio) grave fecit iter, per biſque novena
Milia Iudææ quæſivit jugera terræ!
Quantus in hoſpitiis variis contemptus! ubique
Defectus, preſſura, labor, dolor, obtigit illi,
Quæ curru aurato, quæ pompâ digna fuiſſet
Pluſquam Cæſareâ, comitumque frequente coronâ;
Et læti plectro nabli, & clangore tubarum,
Aulœdique omnis calamo, atque tibicine docto.
Tum, quotaquæque fuit Regumve Ducumve potentum
Id genus aut princeps, aut maxima nata, vel uxor?
Quæ non uſa domi fuerit locuplete camino,
Aut tuti ſtatione Laris, primoque decoræ
Accubitu menſæ, dapibuſque & rebus opimis,
Deliciisque aliis mundi, vel honoribus aulæ;
Fœta ſacro Flatu cum regia Virgo Maria,
Cœleſtem paritura Deum per triſtia brumæ
Frigora, perque nives rigidas per inhoſpita teſqua,
Fecit iter, ducens extrema per omnia vitam?
Heu quam diverſi diversâ ſorte fruuntur!
Suſtentat dum Sanctus onus crucis atque laboris:
Non Sanctus requiem capit, & cumulatur honore.
Poſt ubi Sol ruit, & montes umbrantur opaci,
Virgoque cum ſocio Jeſſæis Regibus orto
Bethlæ parva ſubit ſed magnis debita fatis
Mænia; projectâ reputatur vilior algâ.
Omni conclavi prohibetur ab omnibus; omni
Ejicitur tecto; propellitur ædibus; ipſi
Non datur exiguum componere limine nidum.
Donec olens ſtabulum poſticâ parte penatum
Occupat, hoſpitiumque capit, menſamque torumque

Stra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Stramineum, ſtolidis communia ſingula brutis;
Juxta quæ in ſtipulis ſeſe locat inclyta Virgo.
Peſſimus interea ſucceſſit ſedibus hoſpes
Optatis, & paſſim luxurioſus opimis
Curavit genium ferclis, dulcique Lyæo.
Nemo putat ſecum tantâ ſub mente, quod ingens
Mirificat DEUS Auctor opus ter maximus, intra
Cornigeri ſeptum pecoris, ſordeſque paluſtres.
Heu quam lethalis torpor, tenebræque profundæ,
Pluſquam Cimmeriæ, Bethlam tenuêre ſepultam
Sub Cerere & Baccho? quæ tanti luminis expers
Nulla renaſcentis cognovit ſigna ſalutis.
Heu quam pro nihilo ducit vaniſſimus orbis,
Quid ſit, quid poſſit DEUS, & quid providus idem
Conſulat in medium, ut rebus ſuccurrat egenis?
At contra DEUS indiciis oſtendit apertis,
Quod tumidum mundum non unius æſtimet aſſis.
Iſthic magnificis cœnacula fixa theatris,
Atque Lares aulæatos rellinquit inanes;
Se ſtabulo confert putido DEUS', eximat atris
Ut tenebris hominum genus, atque in priſtina reddat.
Effigie tali Chriſtus confundit inanem
Mundum, & mundanè affectos; & commonet horum,
Scire, vel *eſſe*, *ſibi nihil eſſe*; artemque ſupremam,
Stultitiam; decus omne, *nefas*; ſortemque, *ruinam*.
Ecquid habebat inops Bethlem, cum fonte bonorum
Chriſto, & perpetuæ gazæ ductore carebat?
Ecquid habent noſtri, quibus omnia contulit iſtis
Temporibus pleno fortunæ copia cornu?
Quid jam deſit opum Mariæ, comitique Joſepho?
Præſenti quamvis penitus caruêre ſub ævo
Aptis hoſpitiis, cameris, oſtroque ſuperbo,
Strati corroſæ gremio præſepis, ad ipſas
Stertentes pecudes, & paſſim in ſtramine raro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Corpora curantes epulis exilibus ægra,
Et vigili incertum capientes nocte ſoporem.
Nam quia naſcenti deſit numeroſa tenacis
Congeries auri, & ſpecies pompoſa ſuperbi
Congregis, in pecudum latebris, denſiſque moratur,
Informis mandræ tenebris opis omnis egenus
Chriſtus homo factus, nos ut ditaret Olympo,
Cœnoſoque ſoli ſtabulo, crucis omnis abyſſo,
Ereptos bonus in tempe cœleſtia ductor,
Ferret, & æternæ jucunda palatia vitæ.
Incola tu mundi, quid non tua pectora cogit
Auri ſacra fames? præ perpete fonte ſalutis
Fluxas quæris opes, irritamenta malorum,
Et ſorte inversâ cœlum abjicis, accipis orcum.
At magis afflictus partus fuit, nec Pius ullum
Præſidium tulit humanum, curæve levamen:
Nempe Maria parit Virgo, ſubienſque labores
Lucinæ inſolitos, primum pauperrima fœtum
Edit in optatas jucundi luminis auras.
Nemo tamen miſeratus eam mortaliter ægram
Venit, prægnantem nemo curavit, egentem
Nemo reſpexit, peregrinam nemo recepit.
Tota vagatur inops rerum, quas poſcit honeſti
Cura puerperii, rectricibus orba miniſtris,
Officiis, operis, complexibus omnibus; ipſa
Quæ natura gravem ſolet exonerantibus alvum
Matronis dare, pro ſalva paſſim obvia prole,
Et quibus in partu quævis Matrona propinquis
Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſcit.
Quæ porro ſunt faſciolæ, quibus omnis, egena
Auxilii, puerum involvit miſeranda tenellum
Mater? eas pepli pars detruncata fluentis
Præbuit, aut ruptæ fruſtilla vetuſta lacernæ,
Quæ genitrix proprio miſerata revulſit amictu,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Ut tegeret nudum tenui velamine fœtum.

An non afflictis reſpondent omnia fatis?
Quod Chriſtus cunctis ſpretus, rerum omnium egenus,
Tempore brumali, peregrinis naſcitur oris,
Interubi gelidis diffuſa mapalia ventis;
Ceſpitibus duris tegitur, ſtipuliſque præuſtis.
Tantæ molis erat res, ſalvam reddere gentem,
Et lucem tenebris, nece vinctam, ſolvere vitam.

At cur contempto Nazareth ſacra Numina vico
Meſſiam voluêre dari vitalibus auris?
Multæ per ſanctam terram viguêre celebres
Urbes; magna Tyrus, pretioſo murice Sidon,
Accola Carmeli Ptolomaïs, & inclyta Ioppe;
Regiaque Iſraël Regum primæva Sebaſto;
Cæſareæ duplices Tetrarchæ; prima Philippi;
Altera Strutonis, portuque & turribus ingens
Marmoreis, & porticibus memoranda ſuperbis:
Nulla tamen Sanctos Chriſti ſortitur honores,
Concepti & puræ nutriendi Virginis alvo,
Quam tenue oppidulum Nazareth Galilæidos oræ.
Alma veni Pietas, adſpira fauſta canenti,
Et cauſſas memora, cur maximus autor Olympi
Elegit Nazareth, abjectis urbibus amplis,
Nec voluit Natum concedere turribus altis.

Hebræum Naſareth deſignat trina Latinis
Muſis; florentem Ramum, auratamque Coronam,
Et caſtrum Domino devotum, urbemque ſacratam,
Quam benè vis triplex rem vocis denotat unam!
Nempe quod Amoſus canit, ex hac urbe ſuborta eſt
Virga tribus Jeſſe, & Ramus qui frugis abundans,
In quo divinæ requievit ſpiritus auræ:
Scilicet ipſe DEI proles Patris unica Chriſtus,
Ex hac urbe ſuæ cœpit primordia maſſæ,
Magnus Meſſias, & Rex illuſtris honorum,

 Qui

Qui caput æternis ſertis ornavit, & auro
Sidereæ majeſtatis fulgente coronâ:
Qui nec habet metas poſitas, nec tempora rerum,
Imperium ſine fine datum, quod contulit ipſi,
Qui mare, qui terraſque metu, cœlumque fatigat.
Ex hac urbe ſuum traxit ſacer Arbiter ortum,
Et verus NASIR. qui ſe ſpontaneus ipſum
Pro nobis aræ devovit, & obtulit iræ
Æterni Patris ob noſtræ purgamina noxæ:
Quos ut ab æternis tenebris & morte redempros
In vitæ lumen, priſcumque referret honorem;
Non ſecus ac Simſon Manoæus maximus Heros,
Tartareos rictus atque os immane Leonis
Diffidit, ac rigidi portas peſſundedit orci.
Sic igitur Ratio nunquam temeraria Chriſtum
Conceptum voluit, fotumque decenter, & altum,
In parvo caſtro Nazareth, nec in urbibus amplis.
Quin nullas tantis ornavit honoribus urbes
Munificus DEUS, ut patrium ſibi nomen ab illis
Sumeret, & toti ſic innoteſceret orbi,
Quantos exiguæ Nazaræ contulit urbi.
Nam quamvis Chriſtum Bethlemia mœnia natum
Excipiant, & ei Reges orientis ibidem
Dona preceſque ferant; tamen, ut guſtaveris omnes
Sanctæ Scripturæ latices, non legeris unquam
Bethlæi, ſemper NAZARÆI Nomen JESU;
Quem titulum infami quoque ſtipite geſſit honorum,
Rex Judæorum dictus Nazarenus Jeſu.
Scilicet exiguum DEUS eligit altus, ut altos
Confundat faſtus mundi, & carnalia perdat
Conſilia, & vafræ infatuet rationis acumen.
Quis vos, ô homines, diverſus faſcinat error?
Tantane vos generis ſufflat fiducia veſtri?
O miſeri, præſtat magnos componere flatus;

Pòſt,

Pòſt, veſana gravi pœnâ commiſſa luetis.
Inclinate animos, moreſque reducite veſtros.
Non vobis rerum imperium æternusque tridens eſt
Sed Chriſto datus à Patre eſt, cunabula dura
Qui preſſit, miſeranda ut humanam ſorte piaret
Luxuriam, & Stygios victor proſterneret hoſtes.
Hunc optate Ducem, hunc Vobis optate Magiſtrum̃,
Fas hunc credatis ſubmiſſos uſque vereri;
Huic Vos ritè preces, huic digna piacula fertẽ,
Huic procumbite humi, proſtrati huic pandite vota:
Vos ſiquidem æternis etiam poſt funera pœnis
Ipſe poteſt ſontes ſub tetro urgere barathro.
Nec nos multa movent multis agitata Sophiſtis;
Quâ ſpecie partus, & qualis temporis, & quo
Articulo, & Matris quâ mente, labore, dolorẽ,
Chriſtus prodierit ſub apertas luminis auras.
Non refert; ſed ſcire bonum eſt, quodcunque ſacrata
Fert Euangelii ſeries, veriſſima teſtis.
Textus non fallit; multos humana fefellit̃
Additio, & variæ titubans conjectio gloſſæ.
Aſſerit hiſtoriæ textus, ſine lege virili
Illæsâ Chriſtum Mariâ de Virgine natum̃.
Jam, quid ſit, gravidam conceptum ſolvere partum̃,
Et novus aërias quantis enixibus auras
Accipiat, multis opus haud eſt addere verbis.
Senſit idem Chriſtum pariendo Maria, quod omnes
Sentiſcunt aliæ matres, cum menſibus actis
Exponunt uteri pondus vitalibus auris.
Cum ſanâ ratione parit; quæ membra requirit
Legitimus partus, confert promptiſſima partu,
Ut verè Chriſti fiat nativaque Mater,
Et naturalem Sobolem progignat ab alvo.
Ergò ipſiusmet corpus venerabille nullum,
Liquit opus, quodquod ſapiens natura creavit̃,

Inſe-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Inſevitque hominum membris, & provida rerum
In prolis caſtum generandæ contulit uſum.
Sunt tamen innati contagia ſordida morbi
Excipienda, & grande nefas & morte piandum
Dedecus, & dolor excrucians, & læſus avitæ
Virginitatis honos; ſine quorum turbine caſta
Reddidit, ut ſine labe prius conceperat alvo.
Non diras experta fuit, quas audiit Heva
Prima parens hominum, cum juſtam motus ad iram
Ultrices pœnas operoſi atrocia partus
Tormina veridicus miſeræ prædiceret Adon.
His ſine cuncta tulit, fecit vicitque ferendo,
Quæ fert, quæ facit, & vincit nurus omnis, amanter
Concipiendo, gerendo uterum, pariendo puellum.
Non dives favor, & cœleſtis gratia Regis,
Non vim naturæ frangit, non impedit actum,
Imò juvat fragilem, labantem fulcit & auget.
Hinc quoque mammillis propriis Virgo innuba mater
Imbuit infantem; plenum quem ab ubere lactis
Depulit, & præter naturam pavit inermem.
Hæc ideò paucis nequaquam ingrata revolvo,
Ut noſtræ fidei fundamina certa pateſcant,
Et Chriſtum noſtri ſimilem credamus ab omni
Parte ſui, tam naturæ, quam corporis, unâ
Criminis exceptâ maculâ, donoque favoris:
Pura fuit Chriſto naturæ, pura Mariæ
Forma, ſuper cunctis membris, ſuper omnibus actis.
Nec, quod fœmineum corpus membrumve creatum eſt,
Naturale, ſuum quod opus, ſine labe peregit,
Præter virgineum caſtæ Syſtema Mariæ;
In quâ naturam ſolâ Deus, Auctor & Auctus
Naturæ, ſemel ad magnos ſubvexit honores.
O amor! ô ingens & inenarrabilis ardor!
O cura æterni & ſumma indulgentia Patris!

Quî

Quî magis accipiat mentemque animumque benignum
In nos omnipotens DEUS? aut quo munere mundum
Majori donare queat regnator Olympi?
Quam quod tam celſo ſolio, ſaltuque profundo,
Sanguinem & in noſtram carnem ſe miſerit ægram,
Nec ſecreta quidem loca naturalia quicquam
Tempſerit, & læſæ naturæ parte ſub illa
Summos reddiderit ſummè ſtudioſis honores,
Quâ ſummum intulerat probrum primævus Adamus,
Et genitrice carens genitrix hominum & luis Heva.
Sic ut ſit purum, ſit divinum, ſit honeſtum,
Quod prius in cunctis fuerat mortalibus ægris
Dedecus immenſum, ſcelus execrabile, cœlo
Peſſima naturæ flamma, impuriſſimus error.
Hæc ſunt mirifici verè miracula Jovæ,
Hæc magni ſunt vera DEI magnalia, noſtra
In quibus ægra ſtupet ratio, & tacet atque labaſcit,
Cum non comprendat ſecum. Nam tota cadentum
Cœca eſt mens hominum, niſi verbi luce regatur.
Aride quid garris Ari, verbisque reſiſtis
Falſiloquus, non perfecto ſibi corpore Chriſtum
Abſque animâ motrice artus ſumſiſſe caducos
Humanos, animæque loco LOGON eſſe creatum.
Quid, Manichæe, furis? quid, Marcionita, ſub auras
Naſcenti Chriſto phantaſtica corporis oſſa
Et ſpeciem affingis ſimulatam carnis inanis?
Stulte, Valentino quid ſuffragaris, Apelles,
Chriſtum non veram carnem de corpore matris
Accepiſſe, ſed ætheriam è regione coactam
Aëriâ: quæ vel per Matris caſta Mariæ
Viſcera ſic tranſmiſſa, cavum velut unda canalem;
Vel certè ex alto per Sanctum Flamen Olympo
Delatam, unitamque LOGO ſub Virginis alvo.
Cedite divinis documentis, cedite Chriſto.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Maior habenda fides, eademque potiſſima, ſoli
Scripturæ, teſti veræ, quam mille profanis
Commentis veſtri gregis, & furialibus auſis.
Non regitur noſtrâ DEUS à ratione, ſed ipſa
Tota regenda DEI verbo eſt, & luce ſupernâ.
Chriſtus homo verus verâ eſt de Virgine natus.
Quæ majora homini caſti monumenta pudoris,
Rerum opifex DEUS ante oculos proponere poſſit,
Quam purum Mariæ partum? quo tota Virago
Inviolata fuit, ſimul inviolata remanſit
Mater, ubi Chriſtum in vivas produxerat auras.
Quam penitùs nobis perit omnis iniqua libido,
Omnis ſpurcities animi, malus impetus omnis:
Deponit vires, atque intractabile robur:
Si modo ſinceris animis, vultuque ſereno,
Candida percipimus Pueri Natalia Chriſti,
Et fidei attentâ nobiſcum lance putamus,
Quo zelo ſummi majeſtas cœlica Regis,
Quo fervore ſuæ bonitatis, amore ſalutis
Noſtræ agat, & ſalubres nobis operetur honores,
Fœmineâ in maſſâ carniſque & ſanguinis hujus
Virginis innuptæ Mariæ, templique pudoris.
Fœmina nulla viro mentis tam pura ſagacis
Senſa movet, quam Virgo DEI movet integra Mater:
Nec quis fœmineis gregibus de ſtirpe virili
Corda replet monitis pia candidioribus, ipſe,
Quam Chriſtus puer à vitiis puriſſimus unus.
Quid multis? ut ut hic partus ſpectatur ab omni
Parte ſui, plenas de ſe parit omnis honeſtæ
Mundiciæ ſcatebras illibatique pudoris:
Si modo divinos in eo cognoſcimus actus.
At ſuper hoc ipſo quid in alto conſit Olympo?
An cum terrenâ ſpeciem ſortitur eandem?
Pondus idem? & ſociæ deſpectum plebis eundem?

Ne-

Nequaquam. planè vice verſâ cuncta geruntur:
Partus hic in cœlo tanto conſpectius in ſe
Lumen habet, quanto terræ majoribus umbris
Conditus, humanæ rationi abjectus habetur.
Si te, ſi caneret tua facta volatilis unus
Angelus, & ſuperis plauſum tibi ferret ab aſtris:
Non omnes caperes laudes; non omnis honores
Orbis ſiderei præconis laudibus iſtis
Præferres, & preſſuras, & tædia ſævi
Perferres mundi, & patienti corde domares.
At longè major, longè ſublimior illa
Gloria, quod lætis nequit excita plauſibus omnis
Cœlituum legio ſtellanti ſede teneri:
Sed cœli rumpunt aditus, & in aëre lato
Gigantes ſuperi miſeris paſtoribus, horis
Nocturnis, in agris planis, nova gaudia plenis
Effundunt animis, de nato Rege ſalutis;
Et ſanctis dulcem modulantur vocibus hymnum:
Gloria ſit cœlis, ſit pax & gratia terris.
Ecquid honos? ecquid vigil omnis plauſus eorum
Qui muros Bethlæ tunc incoluêre, vel amplum
Qui nunc magnificis Regesve Ducesve per orbem
Imperiis ac deliciis lætantur opimis?
Si cum cœleſti confertur laude Phalangis
Angelicæ, nato quam dixit fulgida Chriſto:
Nil fulgor vani, nil omnia gaudia mundi,
Sunt aliud, niſi fœtores, faſtidia, ſordes,
Quas homo qui ſenſu valet, impatientibus haurit
Auribus, averſiſque oculis, & mentibus horret.
Aſpice quam largis DEUS ornat honoribus iſtos,
Qui ſunt in ſtolido res abjectiſſima mundo,
Contemptuſque ſui tolerant patienter acerbos.
Nempe vides, oculos mites quod Numina flectunt
In ſolos humiles, & in altum mentis abyſſum.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Quis gerit inſtar idem, (exclamat Jeſſeïa proles
Hymniſoni Vates operis,) ceu conditor ille
Noſter, Olympiacam qui maximus incolit arcem,
Et placidis oculis reſpectat, & implet amore
Pectora gratuitò, quæ patribus uſa modeſtis
Sublimesque polos habitant, terrasque profundas.
Non cœcus caſus, ſed provida Numinis almi
Cura, virum tenui de ſorte & pulvere fœdo
Erigit, & duris urgens in rebus egeſtas
Quem premit, illuvie dives patronus ab imâ
Sublevat, & celſum transfert ad culmen honorum.
Nam, quod ad abjectos homines, omnisque peritæ
Artis inexpertos, ſpatioſa per aſtra volantes,
Hos præ aliis primos naſcente Salute ſalutant
Militiæ turmæ angelicæ, & nova gaudia portant.
Cur magnos Reges, cur prætериêre Monarchas
Cæſareos, aliosve Heroas in orbe potentes?
Nunquid ad excultos Scribas, Solymæque ſuperbi
Auguſtos templi Myſtas, Legumque columnas
Veniſſent, pleno ſublimia folle crepantes,
Et mera jactantes Oracula conſcia Cœli?
Abſit, ut ad proceres primum, tumidosque Sophiſtas,
Flammigeri Juvenes nova nati nuncia Chriſti
Deportent cœlo, & primis meliora precentur.
Paſtores ovium, ſpreti mortalibus oris,
In cœlis primi tanto afficiuntur honore;
Scilicet in ſummis humilis Deus omne ſuperbum
Abjicit; abjectum vocat, accipit auget & ornat.
Heu quæ tanta homines miſeros dementia cœpit,
Ut tanto fremitu quærant ſublimia, tanto
Conatu vanos mundi venentur honores?
Nonne magis fugiunt decus immortale perennis
Gloriæ, & æterni ſuprema chariſmata cœli?
Nonne è conſpectu paraſangis pluribus Almi,

Sub-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Subſidioque Dii, incautos malus abſtrahit error?
Quisquis es, ô homo, qui cultu pietatis honoras
Chriſtum, diſce pati terris; regnabis in aſtris.
Res abjecta ſolo, res eſt gratiſſima cœlo.
Per varios caſus, per ſæva pericula vitæ
Tendimus ad Chriſtum, ſedes ubi Fata beatas
Oſtendunt: illic fas ſurgere regna piorum.
Durate, & vosmet rebus ſervate quietis,
Illuſtres animæ, quas tot diſcrimina mundi
Anguſtant graviora: dabit DEUS his quoque finem:
Sementem triſtem meſſis jucunda ſequetur,
Et mundi lacrymas æterni gaudia cœli.
Sufficiant tenui quæ ſum modulatus avenâ.
Celſius ad magnos ſpectat cantare Marones.
Nam quibus hiſtoriæ Chriſti incubat orbita verbis,
Omnia ſunt ſplendor, ſunt ignis, & omnia ſunt lux:
Irradiant mentes calidis fervoribus; ipſas
Incendunt animas, ſi quiſquam incluſerit imis
Senſibus, inque pios utatur talibus uſus.
Non fruſtrà Helciades antiquo carmine Vates
Flammas verba DEI vocat, internoſque calores.
Et ſacra quo vigeant documenta nitore, vel igni,
Ante oculos, interque manus ſunt omnia noſtras.
Atque hanc rem paſſim ipſa probant divina tremendi
Dicta DEI, quod naturam præ ſe ferat iſtam,
Quo nos cœleſtem doceamur noſſe Triarcham,
Et res illius miras, actuſque ſtupendos.
Is mentes noſtras ad metam dirigit hancce;
Nil fore mundanam vitam, floremque caducum;
Omnem ſollicitam eſſe viam, turpemque ruinam.
Nam velut ad mores mundi terreſtris iniquos
Non vivit, vitamque extrema per omnia ducit,
Per quem nos omnes ſolum traducimus ævum:
Sic non credamus, quærenda placentia primum;

Chriſtum poſt nummos, animam poſt corpus, & alti
Culturam cœli poſt oblectamina mundi.
Et res ipſa aliâ non vult ratione, nec ullo
Ordine poſcit agi diverſo. namque ſupremus
Sic vult, æterni ſic præcipit Autor Olympi.
Et cui dicta Dei, cui talia facta Potentis,
Cui nulli fuerint ſolatia talia curæ:
Nulla Dei ſimulachra gerit, nec concipit ullam
Spem, nec perpetuæ præſentit gaudia vitæ.
Nulla Dei major clementia, nulla voluntas
Candidior magnum majori teſte probaſſet
Pondus inexhauſtæ pietatis, opusque favoris
In miſeros homines, & ab orbe procace relictos;
Quam tali partu miro, quem plauſibus omnis
Excipit angelicus chorus, & Pæana canoris
Ingeminans modulis, redivivæ prima ſalutis
Nuncia per campos miſeris Paſtoribus offert.
O bonitas immenſa, ô non effabilis ulli
Gratia! mortalem Deus immortalis alumnum
Se gerit; infirmos dum ſe dimittit in artus;
Eligit afflictum, ſed projicit omne ſuperbum.
O homo, diſce tuum Meſſiam, diſce ſalutem,
Diſce utrique tuos rectè componere mores.
Hæc eſt materies, hic fons, & linea noſtri
Carminis, hic ſcopus eſt; hoc facto fine, quieſcat.
Et quia pax cœlo tandem reditura videtur
In terram, noſtroſque cupit mollire dolores,
Chriſte, vetus dimitte nefas; miſerare labores;
Sis memor humanæ ſortis, duriſque, quod omnes
Extremo urgebat mortales tempore, fati.
Naſcendo triſtes veniſti avertere caſus,
Et dirum cohibere nefas, plenaſque minarum
Mortis & indomitas moriendo frangere vires.
Ad noſtras deſcende preces, Rex inclyte pacis.

Sat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Sat gladii micuère truces; paſſimque per agros,
Perque urbes ſævi graſſata licentia ferri
Immenſam latè ſtragem dedit; erutaque altis
Quæritur in toto fruſtrà radicibus orbe,
Inviſos hominum fugiens pax aurea mores.
Nos factis noſtris magni irritavimus iram
Numinis, atque in nos hoſtilia movimus arma
Moribus, & pacem tranquillo excuſſimus orbe.
Gens inſana malo laxamus fræna furenti:
Quid mirum, leviore manu ſi dira mali vis
Neſciat expelli, ferro ſanetur & igni?
Hunc adeò nobis vel flammâ vindice digna
Grandia commeritis peperêre piacula fructum.
Exceſſit veteres pax dedignata colonos
Neglecta, & cœlum terris exoſa petivit.
Ne mihi, ne quiſquam incuſet fata aſpera, neve
Faſtidita DEUM revocantem præmia; quiſque
Nitimur in vetitum, cladeſque accerſimus ultrò.
Triſtiaque hæc inter pœnarum exempla movemus
Omne nefas animo, & diro indulgemus amori.
Aſt tu condignas meritis impendere pœnas
Parce, DEUS, dulcesque tui reminiſcere partus
Primitias, tu Sancte PUER. tu publica longè
Damna, & peſtiferas procul eſſe, & cedere turbas
Ætherias, natus, juſſiſti lucis in auras.
Cum terris Te fata darent, convulſaque cœli
Janua ſpem mundi foribus demitteret altis;
Pax erat, & lætâ populos in pace regebat
Auguſtus; felix, ſi Te licuiſſet Olympo
Noſſe datum Regem & cœleſtis gaudia pacis.
At nunc, cur tantis Germania preſſa ruinis,
Tot diris vexata malis, tot perdita bellis,
Tot clades perpeſſa, modum finemque malorum
In varias fruſtrà quærit converſa figuras?

Non

Non aliter, quam cum ventis ſublata benignis
Ingreditur ſecura ſalo, curſumque ſecundum
Perſequitur navis; poſt tempeſtate coortâ,
Concutitur, nec habet quod vel fugiatve, ſequaturve,
In medio deprenſa mari; votisque requirit
Submotum longo terrarum cardine portum.
O venerande PUER, quæ TE naſcente reluxit
Pax, mundi latè partes diffuſa per omnes:
Fac noſtros etiam poſt tot bellata reviſat
Bella Lares; feſſoſque malis, atque ultima paſſos
Exhilaret rediviva animos. qui cœlica pacis
Præmia donaſti veniens, orcoque propinquas
Humanas animas cœli demiſſus ab arce,
Veniſti ſervare, & tutâ in ſede locare:
Terrenam concede etiam, Rex inclyte, pacem.

SOLI DEO GLORIA.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
186 M 6